

CLXIII.

Anno 1499. die 5. Februarii. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae jus appellationis ad forum Banale confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus et alterius cuiusuis status et condicionis possessionis hominibus tocius Regni Sclauonie salutem et gratiam. Inter alia negotia, pro quibus fideles nostros Egregios Bernaldum de Thwroc et Magistrum Nicolaum Woykfy de Kerezthwr, Prothonotarium vestrum, Nuncios vestros ad Maiestatem nostram miseratis, etiam in hoc Maiestati nostre supplicastis, vt Egregios Stephanum, Georgium et Franciscum de Zenche, nec non Stephanum, Ladislaum et Ludouicum de Peker, et Georgium Castelanfy ac Nicolaum Acacy de Zenthlelek, pro illis excessibus, pro quibus nos contra ipsos essemus indignati, et pro quibus etiam bona eorum certis fidelibus nostris contuleramus, in Curiam nostram Regiam, ad standum contra nos Juri non compelleremus, sed quod negocium huiusmodi in presencia Bani Regni nostri Sclauonie diffiniretur et diiudicaretur. Quodque bona prefati Georgii de Zenche, que nunc apud manus nostras habentur, eidem interim remitti facere dignaremur. Nos vero tametsi aliter superinde statuerimus. Tamen volentes in hoc vobis complacere et huiusmodi petitioni vestre locum dare, contenti sumus, vt negocium prescriptum inter nos et prefatos Nobiles, quorum bona aliis contulimus, non hic in Curia nostra Regia, sed coram Bano vestro, presente etiam procuratore nostro, quem illac propterea missuri sumus, discuciat; et postea, si qua partium huiusmodi Iudicio contenta non fuerit, eadem causa huc in Curiam nostram Regiam iuxta antiquam illius Regni consuetudinem remittatur. Remissionem autem siue restitutionem preattactorum bonorum dicti Georgii Zenchey propter plures respectus facere certe non possumus. Nam et alioquin plerique sunt ex illis Regnicolis nostris, presertim vero domina relictæ et filie condam Nicolai Borothe, qui aliquid Juris de aliquibus bonis, que ipse Georgius Zenchey possedit, se habere dicunt, et ideo nos bona illa nulli dare, sed ea in manibus nostris tenere decreuimus, quousque id de Jure reuidebitur. Quare volumus, vt ad vnum diem et locum, ad quem etiam nos directorem causarum nostrarum, vt premisimus, mittere decreuimus, huiusmodi causa et negocium istic in illo Regno nostro, vt prefertur, iuridice reuideatur, vt etiam nos postea possimus iuxta huiusmodi reuisionem de dictis bonis disponere. Vt autem ipse Georgius de Zenche habeat securitatem in medium vestri transeundi, ac Juri et iusticie standi, admittimus vobis et presentibus potestatem damus: vt nomine nostro Regio ipsum assecu-